

delectare debent, quam vos istæ terrere. « Dixi iniquis : » Nolite inique facere. » Sed jam fecerunt, et rei sunt : « Jam defluxit terra, et omnes inhabitantes in ea. » Compuncti sunt corde qui Christum crucifixerunt, agnoverunt peccatum suum, didicerunt aliquid ab Apostolis, ne desperarent de indulgentia prædicatoris¹. Medicus enim venerat, et ideo non ad sanos venerat. « Non est, inquit, » opus sanis medicus, sed male habentibus. Non veni » vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam². » Ergo, « Dixi iniquis : Nolite inique facere. » Non audierunt. Olim enim nobis dictum est : non audivimus, lapsi sumus, mortales facti, mortales geniti : defluxit terra. Audiant vel modo ut surgant medicum, qui venit ad languidum ; quem noluerunt audire sani ut non caderent, audiant jacentes ut surgant. « Dixi iniquis : Nolite inique » facere. » Quid agimus? Jam fecimus. « Et delinquentibus : Nolite exaltare cornu vestrum. » Quid est hoc? Si fecistis iniquitatem per cupiditatem, nolite eam defendere per elationem : confitemini, si fecistis. Qui enim non confitetur, et iniquus est, exaltat cornu. « Dixi iniquis : Nolite inique facere ; et delinquentibus : Nolite » exaltare cornu vestrum. » Exaltabitur in vobis cornu Christi, si non exaltetur cornu vestrum. Cornu vestrum de iniquitate est, cornu Christi de majestate.

VIII. « Nolite ergo efferri : ne loquamini adversus » Deum iniquitatem³. » Audite jam voces multorum, audiat unusquisque, et pungatur. Quid solent homines dicere? Vere judicat Deus de rebus humanis? et est illud judicium Dei? aut vero curat quid agatur in terra? Tam multi iniqui redundant felicitatibus, innocentes premuntur laboribus! Sed illi accidit nescio quid mali, castigante Deo et admonente, et novit conscientiam suam, novit pro

¹ Act. II, 37, 38. — ² Matth. IX, 12, 13. — ³ Psal. LXXIV, 6.

merito peccatorum suorum aliquid se perpeti posse : unde argumentatur adversus Deum? Quia non potest dicere : Justus sum ; quid putamus eum dicere? Sunt pejores iniqui, et tamen ista non patiuntur. Hæc est iniquitas, quam loquuntur homines adversus Deum. Videte autem quam iniquum sit : dum se vult justum videri, illum facit injustum. Qui enim dicit : Inique patior quod patior : illum iniquum facit, cujus judicio patitur ; se autem justum, qui inique patitur. Rogo vos, fratres mei, æquum est hoc, ut Deus credatur injustus, tu justus? Cum autem hæc dicis, loqueris adversus Deum iniquitatem.

IX. Quid dicit in alio Psalmo? « Hæc fecisti : » numeratis quibusdam peccatis : « Hæc, inquit, fecisti, et tamen » cui. » Quid est, « Tacui? » Nunquam tacet præcepto, sed interim tacet supplicio : quiescit a vindicta, non profert in damnatum sententiam. Sed hoc ille dicit : Feci illa et illa, et non vindicavit Deus ; ecce sanus sum, nihil mali contigit mihi. « Hæc fecisti, et tacui : suspicatus es » iniquitatem, quod ero tibi similis. » Quid est, « Quod » ero tibi similis? Quia tu iniquus es, et me iniquum putasti ; tanquam approbatorem facinorum tuorum, non adversatorem, non ultorem. Et quid postea tibi dicit? « Arguam te, et constituam te ante faciem tuam¹. » Quid est hoc? Quia modo peccando post terga te ponis, non te vides, non te inspicias ; ego te ponam ante te, et faciam tibi supplicium de te. Sic et hic : « Ne loquamini adversus » Deum iniquitatem. » Attendite. Multi autem loquuntur istam iniquitatem ; sed non audent palam, ne blasphemi exhorreantur ab hominibus piis : in corde suo ista rodunt, intus tali nefario cibo pascuntur ; delectat eos loqui ad-

¹ Psal. XLIX, 21.

versus Deum, et si non erumpunt lingua, corde non tacent. Unde in alio Psalmo dicitur: « Dixit stultus in » corde suo: Non est Deus¹. Dixit stultus, » sed homines timuit: noluit dicere ubi audirent homines; et ibi dixit, ubi audiret ipse de quo dixit. Propterea et hic in isto Psalmo, charissimi, intendite, quoniam hoc quod dixit: « Nolite loqui adversus Deum iniquitatem, » vidit multos hoc in corde agere, et adjunxit: « Quoniam neque ab » Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montium; quoniam Deus judex est². » Iniquitatum tuarum judex Deus est. Si Deus est, ubique præsens est. Quo te auferes ab oculis Dei, ut in parte aliqua loquaris quod ille non audiat? Si ab Oriente judicat Deus, secede in Occidentem, et dic quidquid vis adversus Deum: si ab Occidente, vade in Orientem, et ibi loquere: si a desertis montium judicat, vade in medium populorum, ubi tibi submurmures. De nullo loco judicat, qui ubique secretus est, ubique publicus; quem nulli licet ut est cognocere, et quem nemo permittitur ignorare. Vide quid agas. Loqueris adversus Deum iniquitatem. « Spiritus Domini replevit orbem terrarum: alia Scriptura dicit hoc: et » hoc quod continet omnia scientiam habet vocis: propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere³. » Noli ergo cogitare Deum in locis: ille tecum est talis, qualis fueris. Quid est, talis, qualis fueris? Bonus, si bonus fueris; et malus tibi videbitur, si malus fueris: sed opitulator, si bonus fueris; ultor, si malus fueris. Ibi habes judicem in secreto tuo. Volens facere aliquid mali, de publico recipis te in domum tuam, ubi nemo inimicorum videat; de locis domus tuæ promptis et in faciem constitutis, removes te in cubiculum; times et in cubiculo aliunde conscium, secedis in cor tuum, ibi meditaris: ille corde tuo interior est. Quo-

¹ Psal. xiii, 1. — ² Id. lxxiv, 7, 8. — ³ Sap. i, 7, 8.

cumque ergo fugeris, ibi est. Te ipsum quo fugies? Nonne quocumque fugeris, te sequeris? Quando autem et te ipso interior est, non est quo fugias a Deo irato, nisi ad Deum placatum. Prorsus non est quo fugias. Vis fugere ab ipso? Fuge ad ipsum. Ergo ne loquamini adversus Deum iniquitatem, nec illic ubi loquimini. « Iniquitatem, inquit, » meditatus est in cubili suo¹. » Quid meditatus est in cubili suo? Cubile cor ejus, dicens: « Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. » Sed supra dixit: « Dicite in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini². » Quot habes ibi punctiones facinorum, tot habe illic compunctiones confessionum. Ubi ergo loqueris adversus Deum iniquitatem, ibi te judicat; non judicium differt, sed poenam. Jam judicat, jam novit, jam vide: poena restat; cum fuerit præsentata, habebis et poenam, cum apparuerit facies illius hominis, qui hic irrisus est, qui judicatus, qui crucifixus, qui sub judice stetit; cum apparuerit judicans in præsentia sua, tunc habebis poenam, si te non correxeris. Quid ergo modo faciemus? « Præveniamus faciem ejus ἐν ἐξομολογήσει³. » Præveni in confessione: veniet mitis quem feceras iratum. « Neque a desertis montium, quoniam Deus judex est: » non ab Oriente, non ab Occidente, non a desertis montium. Quare? « Quoniam Deus judex est. » Si in aliquo loco esset, non esset Deus: quia vero Deus judex est, non homo, noli illum expectare de locis. Locus ejus tu eris, si bonus, si confessus invocaveris eum.

X. « Hunc humiliat, et hunc exaltat. » Quem humiliat, quem exaltat judex ille? Attendite duos illos in templo, et videtis quem humiliat, et quem exaltat. « Ascenderunt » in templo orare, ait, unus Pharisæus et alter Publicanus; Pharisæus dicebat: Gratias tibi ago, quia non sum

¹ Psal. xxxv, 5. — ² Id. iv, 5. — ³ Id. xciv, 2.

» sicut cæteri homines, injusti, raptores, adulteri, sicut
 » et hic Publicanus: jejuno bis in sabbato, decimas do-
 » omnium quæcumque possideo. » Ad medicum ascen-
 » derat, et membra sana ostendebat, vulnera tegebat. Quid
 » ergo ille qui melius noverat unde sanaretur? « Publica-
 » nus autem de longinquo stabat, et percutiebat pectus
 » suum. » Videtis eum de longinquo stantem: illi pro-
 » pinquabat quem invocabat. « Et percutiebat pectus suum,
 » dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Amen dico
 » vobis, descendit justificatus Publicanus ille magis,
 » quam Pharisæus ille: quia omnis qui se exaltat, humi-
 » liabitur; et qui se humiliat, exaltabitur¹. » Expositus
 » est versus Psalmi hujus. Deus iudex quid facit? « Hunc
 » humiliat, et hunc exaltat: » humiliat superbum, exal-
 » tat humilem.

XI. « Quia calix in manu Domini vini meri plenus est
 » mixto. » Merito. « Et inclinavit ex hoc in hunc; ve-
 » rumtamen fæx ejus non est exinanita; bibent omnes
 » peccatores terræ². » Renovamini paululum; obscurum
 » aliquid est: sed quomodo audivimus Evangelii lectionem
 » recentissimam; « Petite, et dabitur vobis; quærite, et in-
 » venietis; pulsate, et aperietur vobis³. » Sed dicis: Quo
 » pulso, ut aperiat mihi? « Neque ab Oriente, neque ab
 » Occidente, neque a desertis montium, quoniam Deus
 » iudex est. » Si præsens est hic atque illic, et absens
 » nusquam, ubi stas, ibi pulsa: ibi tantum sta, quia stando
 » pulsatur. Quid ergo est hoc? Prima quæstio ista occurrit:
 » Vini meri plenus est mixto. » Quomodo meri, si mixto?
 » Cæterum, « Calix in manu Domini, » cum dicit, (erudi-
 » tis in Ecclesia Christi loquor,) non utique veluti forma
 » humana circumscriptum Deum debitis vobis in corde pin-
 » gere, ne clausis templis simulacra in cordibus fabricetis.

¹ Luc. xviii, 10-14. — ² Psal. lxxiv, 9. — ³ Matth. vii, 7.

Calix ergo iste aliquid significat. Inveniemus hoc. « In
 » manu autem Domini, » est in potestate Domini. Manus
 » enim Dei, potestas Dei commendata est. Nam et de homi-
 » nibus plerumque dicitur: In manu hoc habet: hoc est,
 » in potestate habet, cum vult facit. « Vini meri plenus est
 » mixto. » Consequenter ipse exposuit: « Inclinavit, in-
 » quit, ex hoc in hunc; verumtamen fæx ejus non est
 » exinanita. » Ecce unde mixto vino plenus erat. Non ergo
 » vos terreat, quia et merum et mixtum: merum propter
 » sinceritatem, mixtum propter fæcem. Quid ergo ibi vinum,
 » et quid fæx? Et quid est, « Inclinavit ex hoc in hunc, »
 » ita ut fæx ejus non esset exinanita?

XII. Unde venerit ad hoc, recordamini: « Hunc hu-
 » miliat, et hunc exaltat. » Quod figuratum est nobis in
 » Evangelio per duos homines, Pharisæum et Publicanum,
 » hoc latius accipientes, intelligamus duos populos, Ju-
 » dæorum et Gentium: Judæorum populus Pharisæus ille,
 » Gentium populus Publicanus ille. Judæorum populus jac-
 » tabat merita sua, Gentium confitebatur peccata sua. Qui
 » novit in Litteris sanctis, et Epistolas apostolicas, et Actus
 » Apostolorum, videt ibi quod dico: ne longum faciam,
 » quomodo Apostoli exhortabantur Gentes ne desperarent,
 » quod in magnis peccatis jacuissent; et reprimebant Ju-
 » dæos, ne se extollerent quasi ex justificationibus Legis,
 » et ideo se putarent justos, Gentiles autem peccatores esse,
 » quia Judæis et Lex erat, et templum erat, et sacerdo-
 » tium erat¹. Illi autem omnes cultores idolorum, venera-
 » tores dæmoniorum, longe quidem positi, sicut Publicanus
 » ille de longinquo stabat. Sicut illi superbiendo recesserunt,
 » sic isti confitendo propinquaverunt. Calix ergo vini
 » meri plenus in manu Domini, quantum donat Dominus ut
 » intelligam: (Potest enim alius melius, quia sic se habet

¹ Rom. iii, 4.

obscuritas Scripturarum, difficile est ut unum pariant intellectum. Quicumque tamen intellectus exierit, opus est ut regulæ fidei congruat : nec majoribus invidemus, nec parvuli desperamus. Quid nobis videatur dico Charitati Vestræ, non ut obstruam aures vestras adversus alios melius aliquid forte dicturos. Calix vini meri plenus mixto, videtur mihi esse Lex, quæ data est Judæis, et omnis illa Scriptura Veteris quod dicitur Testamenti, ibi sunt pondera omnium sententiarum. Nam ibi Novum Testamentum absconditum latet, tanquam in fæce corporalium sacramentorum. Circumcisio carnis magni sacramenti res est, et intelligitur inde circumcisio cordis. Templum illud Jerusalem magni sacramenti est res, et intelligitur ex eo corpus Domini. Terra promissionis, intelligitur regnum cœlorum. Sacrificium victimarum et pecorum magnum habet sacramentum : sed in omnibus illis generibus sacrificiorum intelligitur unum illud sacrificium et unica victima in cruce Dominus : pro quibus omnibus sacrificiis unum nos habemus ; quia et illa figurabant hæc, id est, illis hæc figurabantur. Accepit populus ille Legem, accepit mandata justa et bona. Quid tam justum quam, « Non occides ; Non mœchaberis ; Non furaberis ; Non falsum testimonium dices ; Honora patrem » et matrem ; Non concupisces rem proximi tui ; Non concupisces uxorem proximi tui ; Unum Deum adorabis, et ipsi soli servies¹ ? » Omnia ista ad vinum pertinent. Illa vero carnalia quasi resederunt, ut remanerent apud illos, et effunderetur inde omnis spiritalis intellectus. « Calix vero in manu Domini, » id est, in potestate Domini : « Vini meri, » id est, Legis sinceræ : « Plenus » est mixto, » id est, cum fæce corporalium sacramentorum. Et quia, « Hunc humiliat, » superbum Judæum ;

¹ Exod. xx, 7-17, et Deut. v, 6-21.

« Et hunc exaltat, » confitentem Gentilem : « Inclinavit » ex hoc in hunc, » id est, a judaico populo in gentilem populum. Quid inclinavit ? Legem. Eliquatus est inde spiritalis intellectus. « Verumtamen fæx ejus non est exinanita, » quia omnia sacramenta carnalia apud Judæos remanserunt. « Bibent omnes peccatores terræ. » Qui bibent ? « Omnes peccatores terræ. » Qui peccatores terræ ? Judæi erant quidem peccatores, sed superbi : Gentiles autem erant peccatores, sed humiles. Omnes peccatores bibent : sed vide qui fæcem, qui vinum. Etenim illi bibendo fæcem, evanuerunt : isti bibendo vinum, justificati sunt. Audeam dicere et inebriatos, et non timebo : atque utinam omnes sic inebriemini. Recordamini, « Calix tuus » inebrians quam præclarus¹ ! » Quid enim ? putatis, fratres mei, omnes illos, qui confitendo Christum etiam mori voluerunt, sobrios fuisse ? Usque adeo ebrii erant, ut suos non agnoscerent. Omnes propinqui sui, qui eos a spe cœlestium præmiorum terrenis blandimentis avertere moliti sunt, non sunt agniti, non sunt auditi ab ebriis. Non erant ebrii, quibus mutatum cor erat ? Non erant ebrii, quorum mens alienata erat ab hoc sæculo ? « Bibent, inquit, omnes peccatores terræ. » Sed qui bibent vinum ? Peccatores bibent, sed ne remaneant peccatores ; utificentur, non ut puniantur.

XIII. « Ego autem : » Nam omnes bibunt, sed seorsum ego ; id est, Christus cum corpore suo : « In sæculum » gaudebo, psallam Deo Jacob² : » promissione illa futura in fine, de qua dicitur : « Ne corrumpas. Ego autem » in sæculum gaudebo. »

XIV. « Et omnia cornua peccatorum confringam, et » exaltabuntur cornua just³. » Hoc est, « Hunc humiliat, » et hunc exaltat. » Nolunt sibi frangi cornua peccatores,

¹ Psal. xxii, 5. — ² Id. lxxiv, 10. — ³ Ibid. 11.

quæ sine dubio frangentur in fine. Non vis ut ille tunc frangat, tu hodie frange. Audisti enim supra; noli contemnerere: « Dixi iniquis: Nolite inique agere; et delinquentibus, Nolite exaltare cornu. » Quando audisti, « Nolite exaltare cornu, » contempsisti et exaltasti cornu: venies ad finem, ubi fiet, « Omnia cornua peccatorum » confringam, et exaltabuntur cornua justi. » Cornua peccatorum, dignitates superbiorum: cornua justi, munera Christi. Per cornua enim sublimitates intelliguntur. Oderis in terra sublimitatem terrenam, ut possis habere coelestem. Amas terrenam, non te admittit ad coelestem: et ad confusionem pertinebit quod frangitur tibi cornu, quomodo ad gloriam pertinebit, si exaltatur tibi cornu. Modo ergo est tempus eligendi, tunc non erit. Non es dicturus: Dimittar et eligam. Præcesserunt enim voces, « Dixi iniquis. » Si non dixi, para excusationem, para defensionem: si autem dixi, præoccupata confessionem, ne venias ad damnationem; quia tunc confessio sera erit, et defensio nulla erit.

ENARRATIO

IN PSALMUM LXXV.

Sermo ad plebem¹.

I. SOLENT inimici Domini Jesu Christi omnibus noti Judæi gloriari in isto Psalmo, quem cantavimus, dicentes: « Notus in Judæa Deus; in Israël magnum nomen

¹ In isto Sermone ad plebem, disputat Augustinus contra Donatistas, et tractat de votis.

» ejus¹: » et insultare Gentibus, quibus non est notus Deus, et dicere quia sibi solis notus est Deus; quando Propheta dicit: « Notus in Judæa Deus: » alibi ergo ignotus. Notus est autem revera in Judæa Deus, si intelligant quid sit Judæa. Nam vere non est notus Deus, nisi in Judæa. Ecce et nos hoc dicimus, quia nisi quisque fuerit in Judæa, notus ei Deus esse non potest. Sed quid dicit Apostolus? « Qui in occulto Judæus est; qui circumcissione » cordis, non littera, sed spiritu². » Sunt ergo Judæi in circumcissione carnis, et sunt Judæi in circumcissione carnis, et sunt Judæi in circumcissione cordis. Patres nostri multi sancti, et circumcissionem carnis habebant propter signaculum fidei, et circumcissionem cordis, propter ipsam fidem. Ab his patribus degenerantes isti, qui modo in nomine gloriantur, et facta perdiderunt; ab his ergo patribus degenerantes, remanserunt in carne Judæi, in corde Pagani. Ipsi enim Judæi, qui sunt ex Abraham, a quo Isaac natus est, et ex illo Jacob, et ex Jacob duodecim Patriarchæ, et ex duodecim Patriarchis populus universus Judæorum. Sed Judæi propterea maxime appellati sunt, quia Judas unus erat de filiis duodecim Jacob, Patriarcha inter duodecim, et de stirpe ejus regnum veniebat Judæis. Nam omnis ille populus secundum numerum duodecim filiorum Jacob, duodecim tribus habebat. Tribus dicuntur tanquam curiæ et congregationes distinctæ populorum. Habebat ergo ille populus duodecim tribus, e quibus duodecim tribubus una tribus erat Juda, ex qua erant reges; et erat altera tribus Levi, ex qua erant sacerdotes. Sed quia sacerdotibus templo servientibus terra divisa non est³, oportebat autem ut duodecim tribubus dispertiretur omnis regio promissionis: excepta ergo una tribu majoris dignitatis, tribu Levi, quæ erat

¹ Psal. LXXV, 2. — ² Rom. 11, 29. — ³ Num. XVIII, 20. —